

250
C

AUGUSTINI

SANCTI AURELII

HIPPONENSIS EPISCOPI

OPERUM

PARS IV.

OPERA ORATORIA

SERMONUM CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS

007885

S. AUR. AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI

SERMONES

AD POPULUM

CLASSIS III.

SERMONES DE SANCTIS.

SERMO CCXCVI¹.

In Natali Apostolorum Petri et Pauli II.

I. RECENS sancti Evangelii lectio hodiernæ solemnitati conveniens, quæ modo sonuit in auribus nostris, si ab auribus etiam in cor nostrum descendit, et in eo locum quietis invenit : (tunc enim in nobis requiescit verbum Dei, quando nos acquiescimus verbo Dei :) admonuit nos omnes, qui vobis verbum et sacramentum Domini

¹ Alias de Diversis 106.

ministramus, pascere oves suas. Beatus Petrus Apostolorum primus, Domini nostri Jesu Christi major amator, quam negator, sicut indicat Evangelium, secutus est Dominum passurum: sed tunc non potuit sequi passurus. Secutus est pedibus, nondum idoneus sequi moribus. Promisit se moriturum pro illo, et non potuit nec cum illo. Plus enim ausus erat, quam ejus capacitas sustinebat. Plus promiserat, quam poterat: quia et indignum erat ut faceret quod promiserat. « Animam meam, inquit, pro te ponam¹. » Hoc pro servo Dominus erat facturum, non servus pro Domino. Qui ergo plus est ausus, ibi præpostere amavit; ideo timuit et negavit. Postea vero Dominus postquam surrexit, docet Petrum amare. Inordinate amans, deficit sub pondere passionis: ordinate autem amanti promisit passionem.

II. Meminimus infirmitatem Petri dolentis quod Dominus esset moriturus: hanc commemoro, ecce commemoro. Qui meminerunt, in corde suo mecum dicant: qui obliti fuerant, commonente me recolant. Dominus Jesus Christus passionem suam imminet ipse Discipulis prænuntiavit. Tunc Petrus amans eum, sed adhuc carnaliter, mori timens mortis interfectorem, « Absit a te, inquit, Domine: absit a te, propitius esto tibi². » Non dixisset, « Propitius tibi esto, » nisi agnosceret verum Deum. Ergo, Petre, si Deus a te cognoscitur, quid times ne Deus moriatur? Tu homo es, ille Deus est. Et pro homine Deus factus est homo, assumens quod non erat, non perdens quod erat. In eo ergo Dominus moriturus erat, in quo et resurrecturus. Expavit ergo Petrus humanam mortem, et noluit eam contingere Dominum. Nesciens, saccum volebat claudere, unde nostrum pretium erat manaturum. Audivit a Domino tunc: « Redi retro

¹ Joan. XIII, 37. — ² Matth. XVI, 22.

» Satanias, neque enim sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum. » Cui paulo ante dixerat, dicenti: « Tu es Christus Filius Dei vivi; Beatus es Simon Bar-Jona, » quia tibi non revelavit caro et sanguis, sed Pater meus » qui est in coelis. » Paulo ante beatus, postea Satanias. Sed unde beatus? Non de suo: « Non tibi revelavit caro » et sanguis, sed Pater meus qui est in coelis. » Unde autem Satanias? Ex homine, et in homine: « Non enim » sapis quæ Dei sunt, sed quæ sunt hominum¹. » Talis Petrus amans Dominum, timens mori Dominum, et volens mori pro Domino, secutus est: et inventum est quomodo prædixerat medicus, non quomodo præsumperat ægrotus. Interrogatus ab ancilla, negat semel, bis, et tertio. Aspicitur a Domino, flet amare²: tergit lacrymis pietatis cordis negationes.

III. Resurgit Dominus, apparet Discipulis. Vidit jam Petrus viventem, cui morienti timuerat. Videt non Dominum occisum, sed mortem in Domino occisam. Jam ergo confirmatus exemplo carnis ipsius Domini, mortem non esse usque adeo metuendam, docetur amare. Modo opus est ut amet, jam viso Domino vivo post mortem: modo amet, modo securus amet; securus, quia secuturus. Dominus ergo, « Petre, amas me? » Et ille, « Amo, Domine³. » Et Dominus, Non quia amas me, volo ut moriaris pro me; hoc enim ego jam feci pro te. Sed quid? « Amas me? » Quid mihi redditurus es, quia amas me? « Amas me? Amo. Pasce oves meas. » Et iterum hoc, et tertio hoc: ut ter confiteretur amor, quod ter negaverat timor. Videte, percipite, discite. Non aliud quam, Amas, interrogatur: non aliud quam, Amo, respondetur. Respondenti dicitur: « Pasce oves meas. » Et commendatis Petro ovibus suis, et commendato sibi Petro cum ovibus

¹ Matth. XVI, 23, 24. — ² Luc. XXI, 61. — ³ Joan. XXI, 15.

suis, jam prænuntiat passionem, et dicit: « Cum esses » junior, cingebas te, et ibas quo velles; cum autem senior factus fueris, alter te cinget, et feret quo tu non vis. » Hoc autem dicebat, ait Evangelista, significans quæ » morte clarificaturus esset Deum¹. » Videtis hoc pertinere ad pascendas oves Domini, ut non recusetur mors pro ovibus Domini.

IV. « Pisce oves meas. » Commendat oves idoneo, an minus idoneo? Primo, quas oves commendat? Pretiosas, emptas, non auro, non argento, sed sanguine. Si dominus homo commendaret servo suo oves suas, procul dubio cogitaret, utrum peculium servi illius idoneum esset pretium ovium suarum, et diceret: Si perdiderit, si dissipaverit, si consumpserit, habet unde reddat. Commendaret ergo servo idoneo oves suas, et servi facultates in pecunia quæreret, pro ovibus quas pecunia comparavit. Nunc vero Dominus Jesus Christus, quia servo commendat oves, quas sanguine comparavit; idoneitatem servi in passione sanguinis quærit. Tanquam diceret: Pisce oves meas, commendo tibi oves meas. Quas oves? Quas emi sanguine meo. Mortuus sum pro eis. Amas me? Morere pro eis. Et quidem servus ille hominis homo pecuniam redderet pro consumptis ovibus: Petrus sanguinem reddidit pro ovibus conservatis.

V. Eia, fratres, aliquid pro tempore volo dicere. Quod Petro commendatum est, quod Petro mandatum est, non Petrus solus, sed etiam alii Apostoli audierunt, tenuerunt, servaverunt, maximeque ipse consors sanguinis et diei apostolus Paulus. Audierunt ista, et ad nos audienda transmiserunt. Pascimus vos, pascimur vobiscum. Det nobis Deus vires sic amandi vos, ut possimus etiam mori pro vobis, aut effectum, aut affectum. Non enim quia Joanni

¹ Joan. XXI, 18, 19.

apostolo passio defuit, ideo passioni animus præparatus deesse potuit. Non est passus, sed potuit pati. Præparationem ejus Deus noverat. Quemadmodum tres pueri arsure missi sunt in caminum, non victuri. Negabimus eos martyres, quia flamma eos urere non potuit? Interroga ignes, passi non sunt: interroga voluntatem, coronati sunt. « Potens est enim Dominus, dixerunt, eruere nos » de manibus tuis: sed et si non: » ibi sunt certa pectora et stabilis fides, ibi virtus inconcussa, ibi certa victoria: « Sed et si non, notum tibi sit, rex, quoniam statum tuam quam statuisti, non adoramus¹. » Aliud Deo placuit: non arserunt, sed ignem idololatriæ in animo regis extinxerunt.

VI. Videtis ergo, charissimi, quæ sunt proposita in hoc tempore servis Dei, propter futuram gloriam quæ revelabitur in nobis: contra quam gloriam non appenditur quælibet quantalibet tribulatio temporalis. « Indignæ » enim sunt passionibus hujus temporis, ait Apostolus, » ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. » Si hæc ita sunt, modo nemo cogitet carnaliter, non est tempus. Concutitur mundus, excutitur vetus homo²: premitur caro, liquescat spiritus. Jacet Petri corpus Romæ, dicunt homines; jacet Pauli corpus Romæ, Laurentii corpus Romæ, aliorum sanctorum Martyrum corpora jacent Romæ; et misera est Roma, et vastatur Roma, affligitur, conteritur, incenditur. Tot strages mortis fiunt, per famem, per pestem, per gladium; ubi sunt Memoriæ Apostolorum? Quid dicis? Ecce hoc dixi, Tanta mala Roma patitur, ubi sunt Memoriæ Apostolorum? Ibi sunt, sed in te non sunt. Utinam in te essent, quisquis ista loqueris, quisquis ita desipis, quisquis vocatus in spiritu carnaliter sapis. Prorsus adhuc patientiam doceo, non-

¹ Dan. III, 17, 18. — ² Florus ad Rom. VIII, 18.

dum sapientiam. Patiens esto, Dominus vult. Quæris quare velit? Differ secretum cognitionis, strenuitatem obedientiæ præpara. Ferre te vult: fert quod vult, et dabit quod vis. Et tamen, fratres mei, ecce audeo dicere: libenter audituri estis, si jam primas partes obedientiæ retinetis, si est in vobis lenis et mitis patientia ferendi Dominicam voluntatem. Lenia quippe non ferimus, sed amamus: aspera toleramus, ad lenia gaudemus. Dominum Deum tuum vide, caput tuum vide, exemplum vitæ tuæ vide; redemptorem tuum, pastorem tuum attende: « Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. » Quomodo ostendit humanam voluntatem, et continuo convertit renisum ad obedientiam? « Verumtamen non » quod ego volo, sed quod tu vis, Pater¹? » Ecce Petro hoc dixit: « Cum senueris, alter te cinget, et feret quo tu non » vis²? » Ostendit in illo humanam voluntatem, circa trepidationem mortis. Nunquid quia nolens mortuus est, nolens coronatus est? Sic et tu nolebas forte amittere peculium tuum, quod hic relicturus eras: attende ne cum relinquendo remaneas. Nolebas ante te mori filium tuum, nolebas ante te mori uxorem tuam. Quid enim? Etsi Roma non caperetur, non aliquis vestrum prior moriturus erat? Nolebas ante te mori uxorem tuam, nolebat uxor tua ante se mori virum suum: ambobus obtemperaturus erat Dominus? Ordo penes ipsum sit, qui novit ordinare quod creavit. Obtempera ergo tantæ voluntati Dei.

VII. Jam video quid dicas in corde tuo: Ecce temporibus Christianis Roma afflicta est, et incensa est. Quare temporibus Christianis? Quis hoc dicit? Christianus? Ergo tu tibi reponde, si Christianus es: Quando voluit Deus. Sed quid dico Pagano? insultat mihi. Quid tibi

¹ Matth. xxvi, 39. — ² Joan. xxi, 18.

dicit? unde tibi insultat? Ecce quando faciebamus sacrificia diis nostris, stabat Roma, florebat Roma; modo quia superavit et abundavit sacrificium Dei vestri, et inhibita sunt et prohibita sacrificia deorum nostrorum, ecce quid patitur Roma. Breviter responde interim, ut illo careamus; cæterum tibi alia meditatio est. Non enim vocatus es ad amplectendam terram, sed ad comparandum cælum; non vocatus es ad felicitatem terrenam, sed ad cœlestem; non ad temporales successus et prosperitatem volaticam et transitoriam, sed ad æternam cum Angelis vitam. Tamen huic amatori carnalis felicitatis, et murmuratori adversus Deum vivum et verum, volenti servire dæmoniis et lignis et lapidibus, cito responde. Sicut habet historia eorum, incendium hoc Romanæ urbis tertium est. Sicut habet historia eorum, sicut habent litteræ ipsorum, incendium Romanæ urbis, quod modo contigit, tertium est. Quæ modo semel arsit, inter sacrificia Christianorum, jam bis arserat inter sacrificia Paganorum. Semel a Gallis sic incensa est, ut solus collis Capitolinus remaneret. Postea a Nerone, nescio utrum dicam servante an fluente, secundo igne Roma flagavit¹. Jussit Nero imperator ipsius Romæ, servus idolorum, interfector Apostolorum, jussit, et incensa est Roma. Quare putatis? qua causa? Homo elatus, superbus et fluidus, delectatus est Romano incendio. Videre, inquit, volo, quomodo Troja arserit. Arsit ergo sic semel, bis, tertio. Modo te quid delectat contra Deum stridere, pro ea quæ consuevit ardere?

VIII. Sed in ea, inquiunt, passi sunt tanta mala tam multi Christiani. Excidit tibi, quia Christianorum est pati mala temporalia, et bona sperare sempiterna? Tu quisquis Paganus es, habes quod plangas; quia tempo-

¹ Vide de Civit. Dei lib. ii. c. 22.

ralia perdidisti, et æterna nondum invenisti. Habet Christianus quod cogitet : « Omne gaudium existimate, fratres » mei, cum in tentationibus variis incideritis ¹. » Dicit itaque, o Pagane, Dii præsidēs Romam modo non servaverunt, quia non sunt; tunc servaverunt, quando erant. Nos Deum nostrum ostendimus veracem. Prædixit ista omnia, legistis, audistis : sed nescio utrum meministis, qui talibus verbis turbamini. Non audistis Prophetas, non audistis ipsum Dominum Jesum Christum prædicentem mala futura? Quantum accedit ætas mundo, tantum propinquatur fini. Audistis, fratres, simul audivimus : « Erunt bella, erunt tumultus, erunt pressuræ, erunt famines ². » Quare nobis ipsis contrarii sumus, ut quando leguntur credamus, quando implentur murmuremus?

IX. Sed plus, inquiunt, plus vastatur modo genus humanum. Interim considerata præterita historia, salva quæstione, nescio utrum plus. Sed ecce sit plus : credo quia plus. Dominus ipse solvit quæstionem : plus modo vastatur mundus, plus vastatur. Audi quare modo plus vastatur, cum Evangelium ubique prædicatur. Attendis quanta celebritate Evangelium prædicatur, et non attendis quanta impietate contemnatur? Jam, fratres, dimittamus paululum Paganos foris, oculum ad nos. Evangelium prædicatur toto mundo : verum est. Antequam Evangelium prædicaretur, latebat voluntas Dei : in prædicatione Evangelii patuit voluntas Dei. Dictum est nobis in prædicatione Evangelii quid amare debeamus, quid contemnere, quid agere, quid vitare, quid sperare. Omnia audivimus : non latet voluntas Dei per totum mundum. Pone servum mundum : et attende Evangelium. Audi Domini vocem. Servus iste mundus est. « Servus nesciens » voluntatem domini sui, et faciens digna plagis, vapu-

¹ Jacob. 1, 2. — ² Luc. XXI, 9.

» labit pauca ¹. » Servus mundus. Quomodo servus mundus? « Quia mundus per eum factus est, et mundus eum » non cognovit. Servus nesciens voluntatem domini sui ². » Ecce quid erat ante mundus. Nunc vero quid? « Servus » autem sciens voluntatem domini sui, et faciens digna » plagis, vapulabit multa ³. » Et utinam multa vapulet, non semel damnetur. Quid recusas vapulare multa, o serve sciens voluntatem domini tui, et faciens digna plagis? Dicitur tibi, (ecce una voluntas Domini tui,) « The- » saurizate vobis thesauros in coelo, ubi neque ærugo, » neque comestura exterminat, ubi fures non effodiunt, » nec furantur ⁴. » Tu in terra thesaurizas : ille in coelo jubet, dicens tibi : Mihi da, ibi habeto thesaurum, ubi ego sum custos. Mitte ante te : quid servas in terra? Quod custodit Christus, non tollit Gothus. Tu contra, prudentior scilicet et sapientior Domino tuo, condis in terra. Sed cognovisti voluntatem Domini tui : sursum condere voluit. Et tu, Ego in terra condo. Paratus ergo esto vapulare multa. Ecce scis voluntatem Domini tui volentis te servare in coelo, et tu servas in terra : facis digna plagis. Et quando vapulas, blasphemās. Blasphemās, murmurās; dicitis quod tibi facit Dominus tuus, fieri non debuit. Quod facis tu servus malus, hoc fieri debuit?

X. Saltem illum locum tene, noli murmurare, noli blasphemare. Lauda magis Dominum tuum, quia corripit te : lauda quia emendat te, ut consoletur te. « Quem » enim diligit Deus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit ⁵. » Tu delicatus filius Dominicus, et recipi vis, et flagellari non vis : ut tu fluas, ille mentiat. Debuit ergo Apostolorum Memoria, per quam tibi præparatur cœlum, servare tibi in terra theatra in-

¹ Luc. XII, 48. — ² Joan. 1, 10. — ³ Luc. XII, 47. — ⁴ Matth. VI, 20. — ⁵ Hebr. XII, 6.

sanorum? Plane verum est: ido mortuus est Petrus, et Romæ positus, ut lapides de theatro non caderent? Executit Deus delicias puerorum de manibus indisciplinatorum. Fratres, peccata minuamus et murmura. Hostes simus iniquitatibus nostris, murmuri nostro: nobis irascamur, non Deo. « Irascimini, » prorsus irascimini: sed ad quos usus? « Et nolite peccare¹. » Ad hoc irascimini, ne peccetis. Etenim omnis homo, quem poenitet, sibi irascitur: poenitentiae iram exercet in se. Vis ergo ut tibi parcat Deus? Tu tibi noli parcere. Quia si tu tibi parcis, ille tibi non parcat: quia si et ille tibi parcat, peris. Nescis quod optas miser, peris. Sicut enim scriptum est, « Flagellat omnem filium, quem recipit: » sic etiam illud time, « Irritavit Dominum peccator². » Unde scis? quasi diceretur illi: Unde scis quia irritavit Dominum peccator? Vidit felicem peccatorem, quotidie mala facientem, et nihil mali patientem, et in Spiritu sancto³ horruit, et doluit, et dixit: « Irritavit Dominum peccator. » Peccator iste qui facit tanta mala, et nihil mali patitur, irritavit Dominum. Provocat Dominum: « Pro magnitudine iræ suæ non exquiret. » Ideo non exquiret, quia multum irascitur. Qui tollit correptionem, parat damnationem. « Non exquiret: » Nam si exquiret, flagellaret; et fortasse emendaret. Modo autem multum irascitur: felicibus iniquis multum irascitur, cum non flagellantur. Nolite zelare illos, nolite velle esse sicut illi infeliciter felices. Melius est ad tempus flagellari, quam in æternum damnari.

XI. Ergo commendavit nobis Dominus oves suas, quia Petro commendavit: si tamen ex aliqua parte vel extrema digni sumus pulverem vestigiorum Petri calcare; commendavit nobis oves Dominus. Oves ipsius estis, vobiscum

¹ Psal. iv, 5. — ² Id. ix, 4. — ³ Forte suo.

oves sumus, quia Christiani sumus. Jam diximus, pascimus et pascimur. Amate Deum, ut amet vos Deus. Et non potestis ostendere quantum ametis Deum, nisi quantum apparueritis amare lucra Dei. Quid habes præstare Deo, homo cordate, quid præstas Deo? Quid præstabat Petrus? Totum hoc: « Pasce oves meas. » Quid præstas Deo, ut sit major, ut sit melior, ut sit ditior, ut sit honoratior? Qualiscumque tu eris, ille hoc erit quod erat. Ergo attende juxta te: ne forte proximo præstare debeas, quod perveniat ad Deum. « Quando uni ex minimis meis « fecistis, mihi fecistis⁴. » Si ergo esurienti juberis panem frangere, tu pulsanti debes ecclesiam claudere?

XII. Quare hoc dixi? Contristavit nos quod audivimus, quamvis præsentibus non fuerimus, quod quidam ex Donatistis veniens ad ecclesiam, peccatum rebaptizationis confitens, cum ad poenitentiam ab episcopo exhortaretur, reclamatum est a quibusdam fratribus, et repulsus est. Dico Charitati Vestrae, torta sunt, torta sunt ex hoc viscera nostra. Fatemur vobis, non nobis placet talis diligentia. Scio quia zelo Dei fecerunt et Ecclesiae. Putatis quia nihil factum est, quia hoc ad omnes sonuit? Rogo vos, ideo sonuerit hodie vox ista, ut illud quod male sonuit, obruat ea res quæ bene sonuit. Hanc operam date, hoc sonet, hoc prædicemus, hoc prædicamus. Veniant, admittantur more solito, qui nunquam adhuc Catholici fuerunt. Si autem jam Catholici fuerunt, et inventi sunt lubrici, inventi sunt inconstantes et infirmi, inventi sunt perfidi; numquid prorsus parco perfidis? Forte erunt fideles, qui fuerunt perfidi: veniant et ipsi admittendi ad poenitentiam. Nec sibi blandiantur, quod redeuntes ad partem Donati egerint poenitentiam. Illa poenitentia fuit de re bona: sit vera de re mala. Quando

⁴ Matth. xxv, 40.

egerunt poenitentiam in parte Donati, poenituit illos quod bene fecerant : modo agant, ut poeniteat illos quod male fecerunt. Timetis, quod perfidi inventi sunt, ne sanctum conculcent? Ecce et huic timori vestro consulitur, in poenitentiam admittuntur. Erunt in poenitentia, quando voluerint reconciliari, jam nemine cogente, nemine terrente : quoniam poenitens Catholicus jam legum comminationes non patitur ; coepit velle reconciliari dum nemo terreret, vel tunc credatur voluntati. Puta quia coactus est esse Catholicus, erit poenitens. Quis illum cogit petere reconciliationis locum, nisi voluntas propria? Modo ergo admittamus infirmitatem, ut postea probemus voluntatem.

SERMO CCXCVII¹.*In Natali Apostolorum Petri et Pauli, III.*

I. HODIERNUM nobis diem festum fecit sanguis Apostolorum. Hoc reddiderunt servi, quod pro eis impensum est sanguine Domini. Beatus Petrus, sicut modo audivimus, sequi iubetur : et tamen praecedere meditabatur, quando dixit Domino : « Animam meam pro te ponam². » Praesumptionem ferebat, timorem suum nesciebat. Praeire volebat, quem sequi debebat. Bonum cupiebat, sed ordinem non tenebat. Quam esset amara mors, amaro timore sensit, et peccatum amari timoris amaris lacrymis lavit. Timor interrogatus est ab ancilla, amor a Domino. Et quid res-

¹ Alias de Diversis 107. — ² Joan. XIII, 37. — Cod. Cass. VII, fol. 315. *Animam meam pro te ponam.* Praesumptione fervebat.

pondit timor, nisi humanam trepidationem? quid respondit amor, nisi divinam professionem? Amare enim Deum, donum Dei est. Quando de amore Dominus Petrum interrogabat, quod dederat exigebat.

II. Quid tamen Dominus Petro praenuntiavit, unde est festus hic dies? « Cum esses junior, inquit, praecinge- » bas te, et ibas quo velles : cum autem senueris, alter te » cinget, et feret quo tu non vis¹. » Ubi est, « Tecum » ero usque ad mortem? » Ubi est, « Animam meam pro » te ponam? Ecce formidabis, ecce negabis, ecce plorabis ; et pro quo mori timuisti, resurget, et firmaberis. Quid enim mirum, quia timuit Petrus, antequam resurgeret Christus? Ecce jam resurrexit Christus, jam apparet veritas animae et carnis, jam quod est in promisso, firmatur exemplo. Videtur Dominus vivus post crucem, post mortem, post sepulcrum. Parum est quod videtur : tangitur, contrectatur, probatur. Fecit cum discipulis quadraginta dies, intrans et exiens, manducans et bibens, non egestate, sed potestate ; non necessitate, sed charitate : manducans et bibens, non esuriendo, nec sitiendo, sed docendo et monstrando. Probatus verus et verax, ascendit in coelum, mittit Spiritum sanctum, implet credentes et orantes, mittit praedicantes. Et tamen post haec omnia, Petrum alius praecingit, et fert quo ipse non vult. Quod volebas quando Dominus praedicebat, tunc velles quando sequi debebas.

III. Alter te cingit, et fert quo tu non vis. Consolatur Dominus de hoc, transfigurans in se infirmitatem nostram, et dicens : « Tristis est anima mea usque ad mortem¹. » Inde Martyres magni, quia dulcedinem hujus mundi calcaverunt : inde Martyres magni, quia amaræ

¹ Joan. XXI, 18. — ² Cod. Cass. VII, fol. 315. Nolebat mori ; alter eum cinxit, et abstulit quo ipse nollet. — ³ Matth. XXVI, 38.